

- tua^{lem} intellectum nos quoque captivi effcimus, quando eiusmodi munitionibus, que iuris nostri non ^{p)}) sunt vel qualibus modum vivendi imponere non possumus, tali (ut iam dictum est) importunitate concludimur. Sicut ille Ionadab ^{q)}), quod nomen interpretatur *spontaneus Domini* ^{r 1)}),
- 5 filiis suis utique sacerdotibus ipse sacerdos in tabernaculis habitare precepit ^{s)}), ita dominus Iesus Christus sacerdos eternus spontanea caritate nobis factus sacerdotes suos civitatibus et castellis nequaquam delectari vult et maxime nos, quorum et sacerdotium proposito et propositum ornatur sacerdotio, id est qui et monachicam vitam profitemur et sacri
- 10 altaris ministerio fungimur. Sed quid opus est subtilioribus argumentis? Ipse oculus meus scit et vos fratres mei scitis, quia sicut pisciculis aqua, sic nostrę professionis hominibus congruit et optabilis est mansio quietas. Si quis vestrum forte tunc aliter sapiebat, is profecto necdum mentis oculo totum terreni sensus pulverem absternerat.
- 15 **14** Pene igitur tunc (ut supra dixi) ²⁾) et luscus et mancus et claudus effectus sum propter eiusmodi scandalum, nisi quia pepercit mihi oculus ille et manus illa continuit se et pes ^{a)}) in velocitate operis cursu, quo ceperat, desiit currere ³⁾), non tamen absque offensione, non sine invectione, non absque suę puritatis turbatione ^{b)}). Nam maluit quidem
- 20 ratione vinci ab ^{c)}) opere cessando quam usquequaque scandalizare me perseveranter ^{d)}) operando, sed non simul existimare voluit, quod sic simpliciter scandalizatus essem tamquam unus de pusillis, de qualibus Dominus dicit: *Videte ne contempnatis* ^{e)}) *unum de pusillis istis. Dico enim vobis, quia angeli eorum in celis semper vident faciem patris mei, qui in celis est* ⁴⁾). Quę ergo vel qualia perinde perpersus fuerim, poteram presentibus inserere scriptis, nisi quia res macrę sive exiles non facile conquisitis decorantur verbis et, ut ait ^{f)}) quidam sapientium sive eloquentium secularium: *Mandare quemquam litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere nec illustrare possit nec delectatione aliqua allicere*
- 30 *lectorem, hominis est intemperanter abutentis et otio et litteris* ⁵⁾).

p) non fehlt M q) Ionab B r) domini spontaneus B s) praecipit M

14 a) spes M b) tribulatione B c) de AJM d) perseverantem AJM
e) contempnatis AM Vulg. f) ait fehlt AJM

¹⁾ Hieronymus, *Liber interpret. hebr. nom.*, C. C. lat. 72, 107 ²⁾ c. 13
³⁾ d. h. Eb. Friedrich von Köln hörte auf, am Eckturm in Klostersnähe zu bauen, s. u. c. 17 und oben S. 414 ⁴⁾ Matth. 18, 10 ⁵⁾ Cicero, *Tusc.* I, 3, 6, zitiert im Prolog zu Einhards *Vita Karoli Magni*, ed. O. Holder-Egger, *Scr. rer. Germ. in us. schol.* 1911, Neudruck 1965, S. 2